

DE  
CORTICE CASCARILLAE

EIVSQVE  
INSIGNIBVS IN MEDICINA VIRIBVS

GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV  
PRAESIDE

FRIDERICO HOFFMANNO

POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTI-  
MIS, ARCHIATRO, FRIDERICIANAE SENIORE,  
ET h. t. DECANO

PRO SVMMIS IN ARTE SALVTARI  
IMPETRANDIS HONORIBVS

D. XXIX. IANVARIII MDCCLXXXVIII.

H. L. Q. C.

DISSERET

A V C T O R

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER

HALA MAGDEB.

---

HALAE  
EX OFFICINA GRVNERTIANA.



ORDINIS MEDICI IN INCLYTA ET REGIA  
FRIDERICIANA  
DECANO SENIORI  
CETERISQVE  
PROFESSORIBVS  
VIRIS

MYNERVM AC DIGNITATVM SPLENDORE  
ILLVSTRIBVS  
DOCTRINAE AC MERITORVM AMPLITVDINE  
EXCELLENTISSIMIS  
PRAECEPTORIBVS AC FAVORIBVS  
OMNI OBSEQVIO COLENDIS

S. P. D.

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER.



*Quum optatissima mihi  
obtigerit occasio, qua  
VOS ILLVSTRES  
EXCELLENTISSI-  
MI atque DOCTISSI-  
MI VIRI, & praeceptores fidelissimos,  
& fautores beneuolos habuisse glo-  
rier; eo iucundio rem semper eam  
speraui fore sortem, quo diutius &  
honorifica VESTRA fruitus con-  
suetudine, & a doctis pependi oribus.  
Magni enim videbatur interesse ad  
illum, qui mihi contigit, peruenire  
honorem, quum VOS in docendo  
ad-*

adfiduos, & dirigendis ac promo-  
uendis studiis meis cognouerim sol-  
licitos. Itaque summa VESTRA  
erga me beneuolentia, quae a pri-  
mis unguiculis mihi iam cognita  
fuit, me hortata est, ut eas VO-  
BIS referrem gratias, quas iure  
VOBIS deberi arbitrarer, & non  
alienas esse ducere a dignitate VE-  
STRA. Ego certe quum habeam,  
cui plus, quam vobis, debeam, ne-  
minem; totus enitar efficere, ut VE-  
STRORVM erga me meritorum me-  
moriam nulla unquam deleat obliuio.  
Suscipite igitur ea humanitate, qua  
soletis, grati animi documentum, quo  
me & VOBIS, & merita VESTRA  
aeternitati sacra reddere sustineo;  
VOBISque persuadete, nullum offici-

um apud me intermoriturum, sed,  
quibuscunque in rebus opus fuerit,  
nemini me, qui id promptius & ala-  
criori animo faciat, esse concessurum.  
Ceterum DEVM supplex veneror  
velit TIBI, canitie VENERA-  
BILISSE NEX, VOBISQVE, EX-  
CELLENTISSIMI atque DO-  
CTISSIMI VIRI, vitam sanam, be-  
atam, ac bonis rebus omnibus perpe-  
tuo adfluentem quam clementissime  
largiri, ac VOS orbi litterario &  
Fridericianae ornamento, patriae  
emolumento, aegrotis solatio, mihi  
vero, ut habeam quo confugiam, ubi  
acquiescam, in prospero ac fortuna-  
to tramite saluos sospitesque serua-  
re quam diutissime. Valete. Dabam  
iv. calend. Febr. MDCCXXXIIX.

PRAESTANTISSIMO AC PRAECLARE DOCTO  
DN. BOEHMERO

CANDIDATO ARTIS NOSTRAE DIGNISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

**V**eram animi quietem a DEO, sapientia & litteris proficisci, saniorum facile nemo est, qui negat. Haec summum & proprium hominis bonum iure debet aestimari, haec hominem DEO iungit, imo tanta est, sine qua omnia ex altera parte posita nihil proficiunt, nihil valent. Felix itaque, quem pietas, sapientia optimarumque artium doctrina commendat, felicior tamen adhuc ille praedicandus est, qui sapientiae & litterarum studium cum ea coniungit disciplina, quae salutaribus valetudinem mortalium tuendi praeceptis nos instruit; unde aptissime mihi videtur iudicasse Hippocrates, cum medicum philosophum DEO esse aequalem pronuntiat. Ipse benignissimus salutis humanae restitutor Christus praeter caelestem doctrinam, quam professus est, nullam in his terris aliam, quam quae languoribus & morbis generi humano infensissimis medetur, exercuit, cum nihil vita sana, quam summum Numen colimus eiusque nomen & opera sancte celebramus, sit optabilius, nihil praestantius. Ego itaque mirifice semper delector

iis ingeniis, quae sapientiam & pietatem cum studio physico-medico, coniungunt; inter quos Tu, doctissime Candidate, primum fere locum iure obtines. Nam quamdiu sacris artis nostrae operam dedisti, non solum eximiam pietatem, in moribus insignem probitatem, singularem in actionibus alacritatem, verum etiam in discendo quasi impetum ostendisti, ita prorsus, ut freno magis, quam stimulo opus habueris. Idque inter alia praesens testatur specimen, siue Tua de remedio praestantissimo, numquam antea a medicis rite explorato, doctissime a Te elaborata dissertatio. Sique ex prima delineatione totius picturae aestimanda est perfectio, Te certe uberrimum tandem fructum salutis publicae foeneraturum esse promitto. Gratulor igitur ex animo patriae; gratulor Illustri Parenti Tuo, cui tanta a benignissimo Deo obtigit felicitas, ut praeter tres filios, legum iuris que peritissimos, Te quoque in arte Apollinea optime exercitatum in publicam salutem progenuerit; gratulor tandem & Tibi de studiis academicis feliciter absolutis, deque honoribus doctoralibus mox Tibi praemii loco conferendis, ex animo optans, ut O. M. Deus non modo corporis animique vires suffulciat, & magis magisque adaugeat, verum etiam Tuos in artis exercitio conatus & consilia omni benedictionum genere secundet clementissime. Dabam Halae a. d. xxxix. Ian. MDCCXXXIIX.





## PRAEFAMEN.



I quicquid tellus alit & triplex natura regnum producit ad examen physico-chemicum vocandum sit, habebunt quo se exerceant tantum non omnes, cum primis illi, qui facto adcuratori rerum per

*σύνθεσιν & ἀνάλυσιν* scrutinio, ad intimam naturæ cognitionem peruenire contendunt. Certesi vnum tantummodo spectes corticum in regno vegetabili amplissimum adparatum, summam principiorum, cum ratione qualitatis tum quantitatis deprehendes differentiam: a quorum vel excessu vel defectu variaque mixtione, corporum in iis contentorum dependet varietas. Differunt autem pro aëris ac terrarum conditio.

A

ne.

ne. Nostris in regionibus gignuntur cortices crudiores, adstringentes terrei, crassius resinosi, rudiori sulphure & sale præditi: veluti sunt auellanarum, fraxini, betulæ, abietum, alique. E calidioribus vero plagis, in quibus sal & sulphur magis excoquantur, oleum cum resina subtilius redditum intimiusque mixtum, prodeunt vt plurimum cortices odore fragrantés & sapore aromatici, cuius phœnomeni rationem *a puritate & subtilitate partium sulphurearum, quæ magis digestæ & maturatæ sunt, deducit* ILLUSTRIS HOFFMANNVS; (a) quum contra euidens sit, ingratum corticibus nostris inexistentem saporem odoremue *a crudo potius & rudiori sulphure & sale ad alcalinam & volatilem magis ac ad subtilem acidam naturam vergente provenire.* (b) Iam facile ratio reddi poterit, cur in climate calidiori particulæ resinoso-sulphuræ subtiliores, & salinæ volatiliores fiant. Ea enim est caloris temperati vis ac potentia, vt fluida expandat, humidum separet, ac fortiori circuitu motuque attrituo fluidum tenuissimum, quod per angustissimos tubulos longo ductum itinere fertur, intimius misceat, principia inter se mixta mirifice alterando & confundendo.

---

(a) *Obseru. Physico-Chemic. XVI. p. 64.*

(b) *IDEM l. c.*

dendo. Præclare vero sentit P. PERRAVLT (c) quia  
 particularum sulphurearum saliumque volatiliū ge-  
 nerationem non calorem solum, sed terræ etiā re-  
 quirat necessitatem. Ita enim, dum horum principio-  
 rum in pluviis demonstrat originem, ait: *Il est aisé*  
*d'entendre que la chaleur féconde du soleil, & l'agitation sa-*  
*lutaire des vents n'est pas absolument ce qui produit les sels*  
*volatiles & sulphurez, qui sont dans la pluye; mais c'est, ce*  
*qui fait, que ces sels, qui sortent de la terre infecons & in-*  
*utiles, acquierent cette qualité féconde par l'action du soleil*  
*& des vents.* Vti vero ex his cœli terræue in miscen-  
 dis ac struendis corporibus cernimus amicū consen-  
 sum; ita præcipue eundem in generandis corticibus  
 obseruamus, qui, quo magis ex corpusculis valde  
 actiuis, & ex parte naturæ amicis conflati sunt, eo ef-  
 ficacius secundum sphæram receptiuitatis cuiusuis in-  
 diuidui operantur; quum ea sit structuræ partium  
 corporis animalis conditio, vt non tam crudioribus  
 resinosis terreisque adstringentibus, sed resoluentibus  
 potius, quæ humores abstergunt, sensus reficiunt,  
 ac virtute balsamica labascentes vires erigunt, tractan-  
 da sit. Quæ quum ita sint, operæ pretium facturus

A 2

vifus

(c) dans ses Oeuvres diuerses de physique & de mechanique  
 p. m. 110. add. les repliques de M<sup>r</sup>. du CLOS a l'examen  
 de ses remarques apud eundem p. 114. seq.

vifus fum, fi ex numerofo corticum adparatu *corticis cascarillæ* virtute præclaræ omnique laude maioris *naturam, indolem, virtutesque* explorare conarer. Quum enim in eo fim, vt iactis ftudiorum in hac mufarum fede fundamentis, & per fex, quæ Dei gratia eft, annos, fuper impofito artis falutaris ædificio, colophonem imponam; neceffarium fuit vires in publice differendo iterum experire. Elegi itaque argumentum, in quo me excererem, quod parum aberat, quin defererem, quum cognofcerem, quam multis, quamque grauibus difficultatibus inuolurum. Quanto enim facilia & planiora mihi vifa fuerant, quæ poftremo loco pofui; quippe clariffimorum artis antiftitum teftimoniis comprobata, tanto mihi grauior initii aditus patebat, quum ea, quæ ad naturalem hiftoriam pertinent, fere leuiter tantum tacta apud obuios fcriptores viderem, nec nifi maximo labore conquirenda ex multis monumentis mihi fuerint. In quo fi defeciffè, aut omnino pofteris, certiora forte edoctis, aberraffe videbor; veniam me fpero tanto facilius confequuturum, quanto magis diligentiam & bene merendi ftudium æqui lectores fpectare & in arduis voluntatem quoque laudare confueuerunt.

## CAPVT I.

De Historia naturali corticis  
Cascarillæ.

## §. I.

**Q**Vando in schola medica *cascarilla* celebratur, Cascarilla quid?  
intelligitur inuolucrum exterius arbusculæ cuiusdam  
Indiæ occidentalis satis compactum, intus concauum & coloris subfusco-ferruginei, extus conuexum, sed tegumento adhuc cinereo albicante obductum, saporis amaricantis aromatici, odoris grati, principii gaudens sulphureisblande vaporosis, resinosis, ac gummoso-terreis. (a) Placuit descriptionem hanc

A 3

præ-

(a) Descripsit corticem *cascarilla* POMET in appendice oper. *Histoire generale des drogues*, quando: *Kinquina femelle*, inquit, ou *Falsa-Kaskarina* est d' une figure de canele, mais d' une couleur plus pâle, d' un gout dans le commencement insipide; mais au bout d' un petit moment, il donne une amertume assez desagreceable. STISSERVS actor. laborat. chemie. spec. II. cap. IX. de cortice eleuterii, pro cortice Peruuiano china-china vendito ex parte tantummodo corticem hunc delineauit, eumque aromatici odoris & saporis, particulis balsamicis resinosis resertissimum, tradit. dans L' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES a. MDCCXIX. p. 67. ita de-

præmittere, vt quid illud fit, de quo disputetur, intelligamus, cuius explicationem tradita prius historia naturali fruticis apud Indos fatis notæ, vltcrius profequi, partesque eius constitutiuas, experimentis & rationibus physico-chemicis, euincere conabor.

## §. II.

Etymologia  
cascarilla.

Iam inquirendum est, quid *cascarilla* proprie significet. Originem vox hæc debet Hispanorum *cascara*, quæ *corticem* denotat, in vernacula dicimus, *eine Rinde oder Schale*. Hinc *cascara di huono*, ovi testa, *cascara de naranja*, cortex aurantium vocantur; vt taceam varias denominationes v. g. *cascara de limon*, *cascara de granada*, *cascara del arbore*

---

describitur: *Le Chacril*, remede peu connu, & dont les Livres qui traitent des Drogues medicinales, du moins ceux de ce pais-ci, ne font nulle mention, est un Ecorce assez ligneuse, épaisse depuis une ligne jusqu'à une ligne & demie, de la couleur à peu-près du Quinquina ordinaire, d'un brun plus pâle, moins compacte, & plus friable, d'un goût amer, un peu stiptique, piquant la langue avec assez d'acrimonie, & laissant à la fin une impression d'amertume mêlée de quelque chose d'aromatique. Cette écorce est couverte d'une pellicule blanchâtre, mince & insipide, ridée & sillonnée legerement en divers sens. C'est l'écorce d'une Plante de Perou encore inconnuë.

bore &c. Itali dicunt *corteccia*, ceu patet ex GIOVANNI TORRIANO *lexico*, (b) ubi v. *cascara seu corteccia* ait: *the ut most Barck ar Rind of any Tree*, h. e. die Schale oder Rinde eines Baums. *Corticula* vero hispanice significat *cascarillam*, adeoque est diminutivum vocis *cascarae*. Inde corticem Peruvianum *cascarilla de la Oja*, (c) Fieber-Rinde vocari, nonnulli scriptores (d) referunt; tanquam signum, denominationem Hispanos Peruviano cortici κατ' ἐξοχήν tribuisse. (e) Itaque tam late patet Hispanis significatus huius vocis, vt non in genere solum pro corticibus intelligatur, verum etiam ad speciem quandam corticum referatur. Quomodo vero ab hac generica denominatione cortex noster *cascarilla* proprie dictus fuerit, aliam non in-

(b) Titulus est: *Vocabolario Italiano ed Inglese*, Londini 1688. f.

(c) Quantum mihi intueri licuit Hispanicorum vocabulorum thesauros inueni vocem *Oja* non denotare *febrim*, sed *folium*, seu vt LORENZO FRANCIOSINI FIORENTINO in *vocabolario Italiano e Spagnuole* p. 203. col. 3. explicat, *parte escremetosa & quasi chioma della piante*. Addit pro explicatione vocis, *folium auri* hispanice dici, *Oja de Oro*.

(d) vid. STISSERI *act. laboraz. chym. spec. II. cap. IX.* & *de febr. intermitt. consult. nou. cap. XVI. p. 95.* VALENTINI *historia simplic. reform. lib. II. sect. IV. p. 174.*

(e) ARINVS in praefatione *historicae relationi febris epidemicae* praemissa.

inuenio rationem , quam quod botanices ignari illam ad speciem nullam referre sciuerint, vel quod, vt verisimile mihi videtur, propter tenuiorem corticularum texturam aliter denominare, ipsis non displicuerit, quam *casçarillam*.

## §. III.

Varius eius  
significatus.

Præter veram significationem diuersa & incongrua nomina sortita est *casçarilla*. Nullibi enim euolutione nominum magis opus videtur, quam in regno vegetabili, & adsignandis herbarum speciebus, quæ adeo sæpe luxuriant, vt, monente B. WEDELIO (f) *quot auctores, tot nomina occurrant.* (g)

## §. IV.

(f) *dissertat. de aro cap. I.*

(g) Inter hos sequentes eminent. STISSERVS & DALEVS per vocem *eleuterii* intelligunt *casçarillam*. LEMMERY autem dans son *dictionnaire des drogues simples* p. 302. per *eleaterium*. POMETVS dans *les additions de son histoire general des drogues falsam Kaskarinam* vocat; cum contra WEIMANNVS in opere Botannico, cui titulus: *Phytanthozaiconographia tom. II. lit. C. p. 33.* illam *canellam* nominet, forte ob figuram eius, cum qua, vti POMETVS l. c. tradit, *aliquatenus conuenit*. Ab his denominationibus plane recedit VALENTINVS *bisfor. simplic. reform.* p. 175. quippe qui *casçarillam* cum *cortice Winterani* confundens, illi etiam denominationem *Winterani corticis* vel *canellæ albæ* tribuit. ZORNIVS denique in *Botanologia medica* p. 202. varias & corruptas *casçarillæ* conquisiuit denominationes v. g. *chaqua-*



## §. IV.

Ex variis ineptis denominandi rationibus ac di-  
 uerfis sententiis coniiicere licet, plures eruditos in eru-  
 endis corticis genere & specie occupatos hæcenus la-  
 tuisse veram historiæ naturalis cognitionem; inter quos  
 e recentioribus eminent auctor speciosi operis *Botanici*,  
 qui arborem corticis nostri dicit *canellam laurifoliam*,  
 (h) & ad descriptionem eius figuram arboris delinea-  
 ri & viuis depingi coloribus annisus est. Sed parum  
 considerate. Videtur enim vitulo VALENTINI arasse,  
 qui corticem nostrum cum *perichlymeno odorato* DALEI confu-  
 dit, quum ille potius corticem *Winteranum* intelligat,  
 tantum abest, vt ibi *casçarillam* descripserit. (i) Ne-  
 que

Quinam casca-  
 rillam ad cor-  
 ticam Winte-  
 ranum refe-  
 rant?

B

que

*chaquavillam, schachavillam, casçarillam, schachbrinil-  
 lam, scascarillam, corticem chinæ chinæ nouum, chi-  
 nam chinam spuriam, chinæ chinæ femellam & kaska-  
 rillam falsam*, quas vel ideo adduxi, vt quiuis statim  
 percipiat, quot auctores quam varias, vni tantum rei  
 designandæ appellationes adhibuerint. Addatur L' HI-  
 STOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES l. c.

(h) in *phytanthozaiconographia* l. c. delineat *folia lauri-  
 na, florem pentapetalum album, odoratum in singulis  
 pediculis binos, ternos, quaternos vel plures, baccas sub-  
 virides, multis seminibus angulosis vuarum vinaceis si-  
 milibus refertas.*

(i) Hinc mirum non est, adductos viros in descriptio-  
 ne *casçarillæ gummi alouchi* commemorasse, quod ex  
 trunco arboris exsudaret. Sed oportuit eos hic cœ-  
 cutire,

que enim *cortex noster*, quemadmodum de *pe, rilymeno odorato* tradit DALEVS, (k) *tam crassus, fungosus inaequalis, fissus multisque rimis hians existit*, neque ratione virtutum ab vilo auctore tanquam *specificam in scorbuto* habitus fuit; sed duo hi cortices a diuersis regionibus & arboribus natalem ducentes, prorsus a se inuicem distincti nullam vel externa facie, vel virtute exprimunt similitudinem. Quod vero WEIMANNVS per *canellam laurifoliam cortice acri*; CASP. BAVHINVS per *arborem Magellanicam cortice acri*; SAM. DALEVS per *perilymenon odoratum* intelligunt, id optime de cortice *Winterano*, quem ex oris freti Magellanici afferunt, interpretatur HERMANNVS. (l) Cuius rationis, quum antea citati auctores non meminissent, mirifice eos caecutire oportuit circa naturam ac indolem *corticis cascaville*.

## §. V.

cutire, quum non meminerint differentiae inter corticem *cascavillae* & *Winteranum*. Recte enim iudicat POMETVS dans son *histoire general de drogues lib. IV. c. IV. p. 130* refinam hanc a *canella laurifolia* provenire sequentem eius subiungens descriptionem: *Il decoule de ces arbres un gomme noiratre grasse & fort odorante, de differents couleurs fort sale & fort vilaine, qui est cette gomme, que quelques droguistes appellent gomme alouchi. Les habitans de l'Isle Saint Laurent employent cette gomme, qu'ils nomment Liremangits, dans la composition de leur parfums, à cause que son odeur n'est pas tout a fait desagreceable.*

(k) *P. II. Phytolog. p. 379.*(l) *Cynosur. mater. medic. p. 96. seqq.*

## §. V.

Alii *cascarillam* ad speciem *chinae chinae* referunt, An ad speciem  
Chinae Chinae  
referenda sit? quam confusionem exortam iudico, quum propter ignorantiae asylum nonnulli Botanici crediderint, corticem hunc, qui ex regno Peruuiano ad nos adfertur, & externa facie similitudinem aliquam refert, esse speciem *corticis febrifugi Peruuiani*, (m) ceu ex dictis (n) APINI clare patet. Hinc a POMETO (o) LEMMERY (p) WEIMANNO (q) aliisque habitus & dictus fuit *china-china spuria*, & pro illa a pharmacopolis & mercatoribus saepius vendita, quale exemplum recenset STISSERVS. (r) Sed aliam esse *corticis Peruuiani* ratione

B 2

arboris,

(m) L'HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES l.c.vbi: Elle a tant de ressemblance au Quinquina, que comme on en compte presentement jusqu'à six especes; on la met pour une septième. Aussi quelques-uns la nomment-ils kina kina spuria, ou falsa, ou kinakina vrens, ou kinakina odorifera.

(n) in præfatione historica relationi febris epidemicae præmissa, ibi: mea, inquit, *Schacharilla* non nisi est species quaedam *corticis Peruuiani*; sed addit, quod interrim, dum certiora de huius *corticis* natalibus docebit dies, & in melius mox restituenda temporis & mercaturæ nauticæ conditio, statuere, me non irascetur quisquam.

(o) l.c. (p) l.c.

(q) l.c.p. 33. 34. vbi obseruat, propter conuenientiam quandam cum cortice Peruuiano, *cascarillam* a nonnullis dictam, die graue *China*, corticem autem *Peruuianum*, die braue *China*.

(r) *Astor. lab. chemic. spec. II. c. IX. de cortice eleuterii pro*

arboris, a qua colligitur ab Indis Querango dicta, fructuum, foliorum, plane diuersam a nostro stru-  
cturam adcurate describunt TRANSACTIONES ANGLICA-  
NAE, (s) vt taceam partes eius constitutiuas, quibus vti  
infra demonstrabitur, a nostro longe discedit.

## §. VI.

*cortice Peruuiano china-china vendito. Ante bienni-  
um, inquit, aliquot libras huius corticis penes Dn. Iob.  
Perrum May pharmacopolam Brunsvicensem vidi, corti-  
cis Peruuiani seu chinæ-chinæ loco missas; nec adeo du-  
dum in mundinis Brunsvicensibus similem corticem pro  
cortice Peruuiano a nonnullis, rerum exoticarum minus  
gnaris venditum noui. Quamuis autem, pergit, callidi  
seplasiarii fallaciam suam velantes corticem eleuterii  
sub nomine cascarilla de la Oja vel palo de calenturas,  
credulis obtruserint, quibus tamen nominibus Hispani  
corticem Peruuianum denotant china china dictum: sciant  
tamen corticem eleuterii a cortice Peruuiano illo, quo ad  
texturam & virtutes multum differre.*

- (s) *The Philosophical Transactions abridgd, Vol. IV. P.  
II. p. 323. by Dr. W. Oliuer sic habent: Peru Bark comes  
from a Tree of about the Bigness of a Plum Tree with  
Leaves like Foy but not quite so big, and are always  
green. The Indians call it Querango. It is gather'd  
in Autumn, and the Rind taken off all round, as well  
from the Trunk as Boughs, which grows again in four  
Months, as Cork does; The Trunk is about the Bigness  
of a Man's Thigh; it bears a Fruit not unlike a Chest-  
nut, (except in its outer Rind or Scell) which is properly  
called China China, and is esteem'd by the Natives be-  
yond the Bark taken from the Trunk or Boughs. This  
Account, Receiv'd from an ingenious Apothecary at  
Cadix*

## §. VI.

Sed non iuuat solum errores aliorum ostendisse, Verior exponitur sententia.  
 mea potius hac in re exponenda est sententia. Licet vero prius irrito quantumuis multo labore historiam huius corticis perlustrans incerta omnia & lubrico

B 3

fun:

*Cadiz in Spain, A. D. 1694. who had liv'd in Peru and had seen it growing and gather'd it several times. From this History I made this observation, that probably China-China, or the Rind of the Fruit, was first on ly in use, and that the Bark of the Tree came not into Use till some Time after; when the Virtues of it Known in Europe, occasioned a greater Demand for it. h. e. Cortex Peruvianus ab arbore, Indis Querango dicta, provenit, quæ magnitudine & crassitie accedit ad prunum & folia bedera aliquatenus similia fert, nec tamen adeo magna, nec semper vivescuntia. Cortex autumnali tempore a trunco & ramificationibus penitus detrahatur, qui vero instar suberis quadrimestri spatio rursus producitur. Truncus crassitie æquat femur, fructum fert castanea similem, dissimilem cortici eius externo, proprie dicto china-china, qui maioris pretii apud incolas est, illo, qui a trunco & ramificationibus colligitur. Retulit mihi hoc tunc temporis commoranti in Hispania portu Gaaitano experientissimus pharmacopola a. r. f. 1694. qui in regno Peruano corticem crescentem videns sæpius defregit. Collegi inde, propius vero esse, chinan-chinam seu corticem externum fructus, vsu prius fuisse comprobatum, cum paullo post arboris cortex in usum conuerti, & exploratis eius virtutibus audius in Europæ regionibus requiri cæperit.*

fundamento superstructa deprehenderim; quum nec volam nec vestigium confessæ rei in scriptis eorum, qui historiam exoticorum nobis reliquere, inuenerim, qua animus hac in re sciendi cupidus satiari potuisset; contigit tamen mihi postea a viro excellentissimo atque doctissimo antecessore medicine in academia Philurea longe celeberrimo. D.D. PLATNERO, quem honoris causa nomino, plenius hac in re erudiri, qui in magno illo opere Londini impresso & hoc frontispicio exornato: MARK CATESBY *Natural History of Carolina Florida and the Bahama Islands* h. e. MARCI CATESBY *historia naturalis Carolinæ Floridæ & insularum Bahamæ*, historiam, quam quæsiueram, descriptam ac ramum arboris cum floribus & fructu æri incisum ac viuis coloribus naturæ æmulis repræsentatum inuenit. Quum vero opus hoc admodum pretiosum sit, vt plures habeat admiratores quam emtores, & auctor celeberrimus omnibus, qui adhuc de *cortice cascarillæ* aliquid memoriæ prodere tentarunt, palmam manibus plane extorfisse videatur: figuram eius æri incidi atque historicam descriptionem adiuncta translatione ex lingua Anglica in idioma latinum, imprimendam, curauit. En igitur illam!

*An Ricinoides Aeleagni folio?*  
*The Ilathera Bark.*

„These Shrubs grow plentifully on most of  
 „the Bahama Islands, seldom above ten Feet high,  
 „and rarely so big as a Man's Leg, tho'tis probable,  
 „that before these Islands were exhausted of so much  
 „of it, that is grew to a larger Size: The Leaves are  
 „long, narrow and sharp-pointed, and of a very pa-  
 „lelight green Colour; at the Ends of the Smaller  
 „Branches grow spikes of Small hexapetalous white  
 „Flowers, with yellow Apices, which are succeeded  
 „by tricapsular pale green Berriers of the Size of  
 „Peas, each Berry containing three Small black Seeds,  
 „one in every Capsule. The Bark of this Tree  
 „being burnt, yields a fine Perfume; infused in either  
 „Wine or Water, giues a fine aromatic Bitter. Vt  
 „vero quibus statim rerum ac verborum in hac histo-  
 „ria contentorum cognoscat vim, ita erit interpre-  
 „tanda.

Descriptio ar:  
 busculæ angli-  
 ca.

*Ricinoides elæagni folio.*  
*Cortex qui vocatur*  
*cascarilla.*

Explicatio  
 eiusdem lati-  
 na.

*Arbusculæ hæc copiose crescunt in plurimis Bahamae insulis. Raro attingunt altitudinem decem pedum, et vix crassitiem pedis superant; quamquam verisimile est, crassiores olim hic fuisse inuentas, antequam magna hinc efferrî caperetur copia. Folia horum fruticum sunt oblonga, angusta, acuminata, pallideque viridia. In extremis & minimis ramificationibus e calycibus surgunt flosculi exigui, hexapetali, albicantes, flauis apicibus. Hos excipiunt baccae ex albo viridiscientes, distinctæ in tres loculos magnitudine pisi, quæ tria nigra semina continent, ac in singulis horum loculorum hæret vnum. Cortex huius arboris dum ardet, naribus acceptum spirat odorem, & infusum eius vinosum & aquosum saporem præbet amarum grate aromaticum.*



*La Chachrille.*



## §. VII.

Uterior expla-  
natio fruticis  
quoad genus  
& speciem.

Ex arbusculæ hujus suppeditata descriptione patet, illam satis recte referri inter *frutices*, quum *frutex* a IOANNE RAIO (t) dicatur *stirps inter lignosas altitudine & crassitudine mediocris, quæque facile in naturam arborum, stolonum abscissione, transcendit.* Genus ad quod laudatus vir hanc speciem refert, est *plantæ triangulæ tricocæ, quæ gerunt vascula frugifera, distincta in tres loculos, quorum singuli habent vnum modo semen;* (v) Cuius opinioni recte adfentiuntur TOVRNEFORTIVS, (x) BVRMANNVS (y) alijque. Hæc vero similitudo generica in nonnullis tantum partibus requirenda est. Fieri enim nequit, ut plures species eiusdem generis occurrant, quarum radices, folia, caules, flores, seminaque similia sint, ceu probe obseruauit TOVRNEFORTIVS. (z) Variis, quæ genus

(t) in *metodo plantarum noua* p. 24.

(v) BOERHAAVIUS in *indice alter. plant. hort. acad. Lugd. Batav. §. 1. p. 253.*

(x) *l. c.*

(y) confer. *Thesaurum Zeylanicum.*

(z) in *instit. rei herbar. p. 55. 56. & lib. c. in append. pag. 565.* Per *Ricinoidem* intelligit *plantæ genus flore rosaceo, ex plurimis scilicet petalis in orbem positis constante, calyci multifido insidentibus, sed sterili. Embryo enim in aliis plantæ partibus nascitur calyce obvolutus, abitque deinde in fructum, in tres capsulas fissilem semine fatas oblongo.*

nus hoc constituunt speciebus, adscribitur *cascarilla frutex*, seu ille, qui cum *Ricinoide eleagni folio* (a) conuenit, a *Ricinoide* in eo differens, vt *figuram foliorum* partim *oleæ*, partim *viticis*, vti dixi acuminosa, oblonga, tenuia, pallideque viridia contineat. (b)

## §. VIII.

Nouam speciem *cascarilla* ex noua Hispania ad nos transuectam, hætenus minus cognitam, aut minus fæltẽm vfitatam refert ALBERTVS SEBA in *historia exoticorum quorundam medicamentorum simplicium*, sequentem eius subiungens historicam relationem. (c)

Noua quædam cascarilla species recensetur.

*Cortex Cascali.*

*Cascarilla* similis est longior est et arctius conuolutus, extus coloris ex albo cinerei, intus russi, saporis amaricantis aromatici. Natalis ei locus idem est qui cortici chinae chinae, cui etiam proxime accedit. In febribus tam continuis quam intermittentibus vsurpatur vel solus, vel cortici Peruuiano remixtus, cuius vim auget et emendat. Extractum eius cum spiritu vini paratum ventriculo debiliore egregie medetur.

C 2

Patet

(a) huius speciem refert I. P. TOVRNEFORT *l. c.*

(b) BYRMANNVS in *thes. Zeylanico* p. 230. TOVRNEFORT in *instit. rei herb. class. XX.* p. 603. 598. 599. BOERHAAVIUS *l. c. P. II.* p. 218. 221. 222.

(c) conf. *acta physico-medica natur. curiosorum. volum. IV.* pag. 230. *obseru. LXX. no. VII.*

Patet ex suppeditata descriptione, recte *corticem* hunc ad *speciem cascarille* referri, quia continet similitudinem principiorum, seu quoad texturam & virtutes cum *nostro* fere conuenit.

## §. IX.

Natale solum  
eius.

Quod ad natale solum *buius corticis* attinet, in eo quidem consentiunt auctores, vt ipsi *Indiam occidentalem* adscribant, licet in diuersis adsignandis regnis, prouinciis ac insulis differant. Præter ea quæ adduximus in §§. antec. de *cascarilla cortice ex insulis Babamæ*, & noua eius specie ex noua Hispania ad nos allata, *perillusris* HANS SLOANE in *oris maris austrini* copiose colligi tradit. Laudatur etiam a nonnullis regnum *Peruanum*, ex quo per Dn. LEGERAS ad Gallos a. 1670. primum fuisse aduectum, POMETVS auctor est. (d)

## §. X.

(d) *l. c. Kinquina*, inquit, *nous a été aportée du Perou an. 1670. par Monsieur Legeras. Les Indiens en usent infusé dans l'eau froide du poids de deux gros. Et pour mon particulier je croy que c'est, ce que les Indiens appellent Falsa Kaskarina.* LEMMERY *l. c. p. 203.* in genere tantum contendit, *cascarillam esse corticem Indicum*, cui adsentitur STISSERVS actor. *laborat. chym. spec. II. c. IX.* qui perhibet, *non adeo multis abhinc annis Indiæ quendam corticem innotuisse, eleuterii nomine insignitum, cuius particulam se ante aliquot annos a perillusri & excellentissimo quodam viro, qui ex Anglia secum attulerat, dono accepisse.* DALEVS demum, *utramque*

## §. X.

Circa collectionem *huius corticis* nonnulla obseruanda veniunt, quam tradidit *perillustris* HANS SLOANE. (e) Ex relatione autem eius notanda est

Cautela circa collectionem corticis.

C 3

præ-

*corticis Peruvianæ speciem veram & falsam per quam chinam-chinam & cascarillam intelligit ex India occidentali adferri adfirmat l.c. Adde L' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES l.c.*

(e) *Voyage to Jamaica Vol. I. in the Introduction p. 85.* Relatio eius hæc est: „One Doctor Fritz a German „Chirurgion and Chymist who had been in the South- „seas with Captain Townley, told me he had seen of „the Cascarilla-Trees, or those on which grows the „Peru or Jesuits Bark: that they grow near the sea „side and are very large Trees; that they cut a piece „of the Bark round the Trunk of the Tree near the „ground; that a while after the Bark withers on the „whole Tree, and falls off; that they had taken a Ship „named the Cascarilla, and had thrown most of that „Bark her loading, in to the sea to make room for „Provisions. That the Leaves generally found in the „Bags of the Bark, was of that Tree, and Plenty of the „Trees is to be met with in the South-Sea.” h.e. *Relulit mihi Doctor quidam nomine Fritzius, natione Germanus, chirurgus & chymicus, qui cum Townlyo nauis præfecto ad mare austrinum profectus erat, se quasdam cascarilla arbores, seu illas vidisse, quibus cortex Peruvianus vel Jesuitarum adnascetur. Commemoravit eas gigni in oris, & in altis extendi arbores; a quibus corticis parte, quæ terram truncumque tegit, penitus abscissa; reliqua portio, arborem inuolvens, sicca mox fiet decidua. Narravit quoque, sese*

præcipue cautela in *colligendo hoc cortice* adhibenda, diuersa omnino ab illa, quæ in *conquirendo Peruuiano cortice* solet obseruari, (f) quam describunt TRANSACTIONES ANGLICANÆ. Refert, sed ambigue, abscisso circa radicem cortice, reliquam eius partem a trunco & ramis penitus decidere. Vera ratio consistit in impedito fluidorum per minimos tubulos circuitu ac nutritionis defectu. Demonstrat enim præclare MARCELLVS MALPIGHIVS, veræ plantarum anatomes optimus magister, plantas componi ex fistulis & vesiculis, circulationi succorum alimentisque conuehendis inseruientibus. (g)

Ita-

---

*sefe nauem quandam, dictam Cascarilla ingressos, multum corticis, quo nauis præcipue fuit onerata, in abyssum proiecisse, quo necessariis vitæ alimentis locum facerent. Folia demum, quibus sulci huius corticis plerumque oppleti sunt, eiusdem arboris esse, ac maris austrini oram, eiusmodi arboribus multis refertissimam, indicat.*

(f) vid. not. ad S. V.

(g) *Fistulas, ait, esse duplicis generis, vel alimento conuehendo, vel aeri excipiendo inseruientes, easque in ipsis radicibus veluti colligi, ibique dispergi, ac in ramis eorumque propaginibus vario ac multiplici contextu arctius aut laxius coniunctas vesiculas in interstitiis suis complecti, quas amplificari cogit alimentum, veluti in carnem concreescens. vid. TOVRNEFORT in instit. rei herbar. p. 55. 56.*

Itaque si prope radicem, vbi fistulæ omnes coeunt, tanquam ex fonte præparatum alimentum per minimos canaliculos totius arboris vehementes, *cortices cascarille* abscinduntur, reliqua etiam per partes connexas perit nutritio: hinc fit, vt exsuccis cortices plane siccescant (h).

## CAPVT II.

De principiis & ingredientibus  
corticis cascarillæ.

## §. I.

**D**ictum superius est, *cascarillam* præter externa, quibus a reliquis corticibus distinguitur, constare principiis sulphureis blande vaporosis, resinosis, ac gummoso-terreis, de quorum luculenter probanda veritate iam erimus solliciti, illam demonstraturi, non quidem ex auctoritate & theoria aliorum, sed ex variis cum hoc cortice institutis experimentis; quæ iam sequuntur.

I. Cas-

(h) Fusius hac de re egit PERRAVLT in operib. physico-mechanic. quibus inseruit librum, de la circulation de la seue des plantes p. 71--126.

- I. *Cascarille* libræ p. c. in moleculas minimas comminutæ infudimus aquæ puræ fluuiatilis mensurâs quatuor, ac per tempus nocturnum pro intimiori particularum resolutione digestionem, ac dein destillationem e vesica commisimus, sub qua prodierunt libræ quatuor aquæ admodum fragrantis, quibus supernatabat olei ætherei blande vaporosi, odore penetrantis, & colore viridis drachma vna.
- II. Mensuras duas *aquæ cascarille destillatæ*, miscuimus cum æquali portione vini Rhenani ac e vesica destillauimus. Sub destillatione accepimus aquæ prius spirituosæ, lactescentis, particulis oleosis refertæ & saporis aromatici libram vnâ, quam debilior excepit, quæ demum in aquam odore & sapore penitus destitutam abiit.
- III. *Oleum vero æthereum* cum flammifero HOFFMANNI spiritu confudimus, sub qua mixtionem magnam quidem efferuescentiam & calidissimum fumum, nullam tamen exhibuit flammam.
- IV. Porro infudimus libræ p. c. *corticis cascarille alcohol vini* ad eminentiam trium digitorum, tamdiu repetendo nouam infusionem, donec odor, color & sapor nullam amplius resinam cortici inesse, certum præbebant indicium. Spiritum odore aliquatenus resinam referentem abstraximus ad spissam fere



fere consistentiam, cui infudimus sufficientem aquæ frigidæ quantitatem ad præcipitandam *resinam*, quæ in fundo cucurbitæ collecta, pondere vnciis tribus constabat.

V. Residuum a præparatione essentiaë ficcatum ponderis libræ medicæ, denuo *aqua simplici* sufficienter fuit decoctum, expressum, filtratum & ad consistentiam *extracti* redactum, ponderis vnciæ vnius, dimidiæ & trium drachmarum, remanentibus terrestribus cascarillaë portionis vnciis septem.

VI. Rursus libræ p. c. *corticis cascarillaë* prius infudimus *aque* sufficientem quantitatem, quæ post decoctionem, expressionem, clarificationem & inspissationem reliquit *partis gummosæ* vncias duas atque dimidiam.

VII. Residuum post expressionem ficcatum ponderis libræ medicæ spiritu *vini rectificatissimo* soluimus & accepimus *resinæ* vncias duas & dimidiam, remanentibus vnciis sex, certo indicio, si cum aqua prius infundatur, aliquam partem *resinæ* cascarillaë in decocto aquosofolui, præprimis si *sale tartari* acuat.

VIII. Deinde commisimus *destillationi siccaë* ex retorta vitrea libram semis p. c. *corticis cascarillaë* in puluerem redacti; sub qua prodierunt phlegmatis

- matis acidi vnciæ duæ, cui supernatabat oleum summe volatile instar cornu cerui ponderis drachmarum duarum. Hoc exceptit oleum admodum spissum & foetidum, priore specificè grauius, pondere æquans vnciam, remanentibus terræ nigræ insipidæ vnciis tribus.
- IX. Phlegma acidum separauimus, infundendo ipsi solutionem salis tartari, cum qua magnam efferuescentiam excitauit.
- X. *Olei* vero phlegmati supernatantis & ab illo *separati* partem dimidiam in spiritus vini rectificatissimi libra medica soluimus, & destillationi ex arena subiecimus, qua *spiritum* accepimus penetrante olei odore referentum ac instar spiritus cornu cerui summe *volatilem*.
- XI. Alteram *eius* partem confudimus cum *spiritu vi-*  
*trrioli* acido corrosiuo, sub qua mixtione ad fundum *resina* præcipitabatur.
- XII. Ab vnciis autem tribus *terre* a destillatione sicca residuis post calcinationem in crucibulo igne aperto, coctionem cum aqua, & inspissationem, remanebat tantum *salis alcalini* scrupulus semis.
- XIII. Denique *resinam* explorauimus eiusque vnciam vnã cum quadruplo cornu cerui vsti destillationi commisimus, sub qua prodiit phlegmatis vncia vnã & semis, cui supernabat olei odore instar *resinæ* grati drach-

- drachma, succedente fortiore ignis gradu oleo crasso  
fœtido.
- XIV. Suaue *resinæ oleum* in spiritu vini rectificatissimo  
solutum gratum ac volatilem illum reddit, eiusque  
saporem resinoso amaricantem.
- XV. *Idem* ad mixturam spiritus flammiferi HOFFMAN-  
NI validissimum quidem efferuescentiam edit, nulla  
tamen subsequente flamma.
- XVI. Denuo vnciam *eius* vnam retortæ vitreæ indi-  
tam destillationi subiecimus, sine additione alicu-  
ius terre, sed vt vi ignis eius contextus inuertere-  
tur. Accepimus a destillatione phlegmatis vnciam di-  
midiam, olei empyreumatici drachmas duas, relictis  
in fundo retortæ terræ fragilis scrupulis duobus,  
quæ post calcinationem, elixuationem, & inspis-  
sationem reliquit *salis alcalini* aliquot grana.
- XVII. *Resina* in oleo *athereo*, v. c. lauendulæ ope calo-  
ris soluitur, sed pars tantummodo aliqua in *expresso*  
v. g. amygdalarum.
- XVIII. *Eadem* cum triplo amygdalarum dulcium trita  
in *puluerem* saturati coloris abit, & saporem exhibet  
amaricantem, qua in forma vsibus medicis cedit.
- XIX. In igne detenta *lucidam* exhibet *flamam*, sub mi-  
tiori ignis gradu *fluxilis* redditur, gratum spargens

odorem, a frigore vero in corpus redigitur *durum* atque *tenax*.

XX. *Lixiuum cum sale tartari* paratum, vel *aqua calcis viue* aliquam *resinæ* soluunt partem, quod non solum ex tinctura eiusmodi infusi, imminutione ponderis *resinæ*, verum etiam ex sapore grate *amaricante* instar *resinæ* percipitur. Hinc decoctum *corticis cascarille*, cum *menstruo dissolvente salino* paratum, colore saturatius fit illo, cum *aqua simplici tantum facto*.

XXI. Demum *partem gummosam igni aperto* commisimus, ac vncias eius duas atque dimidiam ex retorta vitrea destillauimus. Accepimus a destillatione phlegmatis vnciam vnam, olei fetidi drachmas duas, & terræ leuis fragilisque drachmas sex.

XXII. *Terra hæc leuiter calcinata* post extractionem cum aqua calida, transmissionem per filtrum, & in auras exhalationem, reliquit *salis alcalini* instar illius, quod a tartaro cremato accipitur gr. XXXV.

XXIII. Tandem *combussimus cascarilla* libras duas p. c. flamma aperta, quam propter copiam olei & *resinæ* facile concepit. Sub deflagratione percipiebatur fumus odorem spargens instar ambræ gratum, relietis *cineris albi* vncis tribus, quibus tamdiu adfunde-  
batur aqua, donec lixiuum non amplius spiculis salinis gustum feriret. Solutionem filtratam sub  
leni

leni euaporatione ad siccitatem reduximus, residuis *salis alcalini* oleo adhuc grato imbuti scrupulis duobus.

XXIV. *Magmatis huius salini* deflagrato per calcinationem in crucibulo principio inflammabili, supererat *salis alcalini* aëris accessu deliquescentis scrupulus vnicus.

§. II.

Quum vero in Cap. I. commemoratum fuit, *cor-* Differentia  
*cascarille* a plurimis & alioquin doctis viris ad *cascarille &*  
*chinæ chinæ speciem* referri, necesse est, vt *chinæ chinæ* experimentis  
*experimentis* nonnulla cum *Peruiano cortice* instituta adducamus, ostenditur.  
quo eo melius pateat ex relatione vtriusque corticis  
summa inter *cascarille* & *chinæ chinæ cortices* differentia.

I. Infusum *corticis cascarille*, cum aqua simplici saturatum est coloris, & saporis amari: *chinæ chinæ* vero exhibet colorem flauum instar corticum aurantium, & saporem adstringentem austerum.

II. Si *lixiuum* paratur ex tribus vnciis aquæ & salis tartari drachma vna ac in illa *corticis cascarille* vncia vna decoquitur, saturatior fit colore eiusque amarities corrigitur; quantitas vero eadem *corticis Peruaniani* in lixiuio salis tartari eodem modo præparato soluta, infusum exhibet rubicundi coloris instar sanguinis, & saporem amaricantem, cum principium

eius acidum admixto alcali sub decoctione saturatum fuit.

III. *Infuso cascarillæ*, si admisceatur *vitriolum martis*, non colore illo nigro tingitur, qui sub mixtione eius cum *decocto chinæ chinæ* obseruatur.

IV. Vnciæ quatuor *corticis Peruuiani* triplici aquæ infusione decoctæ post expressionem, filtrationem, & inspissationem præbent *extracti aquosi*, adstringentis vnciam dimidiam & drachmas tres. Residuum siccatum & spiritu vini solutum *nihil fere resinae* continet, sed terram potius subtilem cum sulphure in spiritu vini solutam, quæ saturate rubicundum essentia inducit colorem, eamque leniter adstringentem reddit; vnde post adfusionem aquæ frigida nihil in fundum præcipitatur & ad latera vasis, sed turbida potius redditur, & post inspissationem leui caloris gradu relinquit *extracti spirituosi* leni ignis gradu in puluerem redacti drachmam vnam & scrupulum vnum; amaricantis tamen, & colore magis saturati illo, quoda *china china* prius spiritu vini soluta & aqua postea decocta accipitur.

V. *China china* vero triplici spiritus vini infusione prius soluta, ac postea aqua decocta, & ad consistentiam extracti inspissata, elargitur *extracti spirituosi* vnciam dimidiam, cui aqua infusa, sub leni calore

calore soluit & extrahit particulas quasdam sulphureo-terreas, quæ & colorem flauum & saporem amaricantem ipsi inducunt. Residuum vero aqua decoctum, filtratum & inspissatum continet *partis aquosæ* drachmas duas.

VI. *Eadem* per destillationem humidam *nullum* fundit *oleum essentiale*, sed potius igne aperto oleum empyreumaticum.

VII. *Libra vna corticis Peruvianæ* combusta, soluta ac inspissata relinquit salis alcalini drachmam.

### §. III.

Ex hætenus adductis *experimentis* clare, opinor, patet, <sup>Ingredientia cascarillæ constituant:</sup> primo *cortici nostro* admodum fragranti inexistere *oleum* <sup>1) Oleum æthereum.</sup> *admodum subtile æthereum*, quod odorem spargit blande vaporosum, ac per destillationem humidam e cascarilla elicitur (§. I. n. I.); quum constet, *quod omnia ex vegetabilibus, quæ attritu & calore forti odore fragrant, per destillationem humidam oleum fundant subtile, idque eo gratius, quo fragrantior odor fuit.* (a) Tenuitatem partium, quibus *oleum* hoc componitur ex eo discimus, quod non solum odore sese valde expandit, verum etiam propter leuitatem ac visciditatem terræ subtilis actioni spiritus flammiferi resistere, adeoque particularum elasticarum rapidissimum motum, seu flammam, concipere nequit. (n. III.)

### §. IV.

(a) Vid. *Illustris Hoffmannus obseru. phys. chem. l. I. obs. I. p. 2.*

## §. IV.

2) Refina.

Deinde cognoscimus, non solum *generationem resinæ*, verum etiam *multum eius in cascarilla cortice* contineri. Ad *genesin* huius indagandam & probandam confert non solum resolutio *cascarillæ eiusque resinæ* per destillationem siccam (n. VIII.) in principia, quæ resinam ex phlegmate acido, teneriori terra, & suaui oleo constareprehendimus, (b) verum etiam præparatio resinæ artificialis per commixtionem olei cum spiritu vitrioli. (n. XI.) Hoc vero oleum admodum volatile (n. X.) cum phlegmate acido tamarctæ in *resina* cohæret, vt sola ignis vi (c) retortam non transcendat, (n. XVI.) nisi ipsi admisceas principium aliquod terreum, quo acidum sulphuris se iungat, & principum inflammabile e compedibus suis liberet atque dimittat. (n. XIII.) Exinde patescit, *resinam* nihil aliud esse, quam oleum subtile ab acido admixto in coagulum redactum. Propter copiam vero olei & phlegmatis acidi, (n. IX.) quam sub destillatione elargitur (n. VIII.) *cascarilla*, non multum solum *resinæ* (n. IV. VII.) continet, tantum, quantum vix ac ne vix quidem in reliquis regni vegetabilis corticibus & radicibusprehenditur, verum

(b) IDEM *l. c. p. 60. seqq.*

(c) Hæc enim ad texturam resinofarum partium dissol- uendam



rum etiam *resina* hæc ob principii inflammabilis abundantiam admodum *calida* est atque *elastica*.

E

§. V.

uendam non est aptissimus artifex; efficit potius, ut oleum resinæ cum acido sulphuris & copiosiori terra arctius unitum in morum fluiditatis abripiatur, & oleum copiosius *fatidum* priori specificè grauius constituat. Etenim post humidi exhalationem & principii pinguis deflagrationem remanet terra fixa nigra, quæ sub rectificatione eius satis copiose colligitur. Nam destillatione & adfusione aquæ repetita, monet *Celeb. BOERHAAVIUS* in *elem. chem. P. II. p. 365. 66. olea fatida in copiam terræ in tam paruum veri olei reduci*. Exinde constat, oleum empyreumaticum non naturæ, sed artis productum esse, ac ignis violentia ex iis maxime elici corporibus, quæ copiosi pingui abundant principio. Deinde euidens sit, causam fœtoris olei huius materialem ac præcipuam consistere in principio, quod mixtis materiam ad ignem, vel flammam concipiendam subministrat, fortiter salium actione agitatum, quemadmodum inter alia egregie aduertit *venerandus senex HOFFMANNVS* *lib. III. obs. physic. chemic. select. obs. X. p. 316. sqq.* Subtiliora enim salia ignis calore exagitata, adoriuntur principium pingue, & sub hoc intestino motu destructionem pristini corporis & mutationem odoris saporisque conciliant. Ex his omnibus aperius coniciamus, ignis potentiam in immutando odore saporeue, in destruendis compositis plurimisque mixtis, ea repentino & extremo subtili motus imperu non longo temporis intervallo dissoluentem, ut docente *B. STAHLIO* in *opusc. physic.-chymic. medic. p. 400. e pristina cohæsione disturber & in aliam ac nouam plane trans-*

## §. V.

Quo menstruo  
resina solua-  
tur?

*Resina cascarillæ* (d) requirit menstruum aptum & veluti sui simile, (e) seu spiritum vini rectificatissimum, (n. IV. VII.) quem cum *illustri* HOFFMANNO (f) voco: *oleum vegetabilium per fermentationem in phlegmate solutum & cum illo arctius unitum*. Itaque quæcunque ex fluidis principio æthereo inflammabili constant, illa ad resinam soluendam omnino apta sunt. Iam vero præter *alcohol vini olea æthera & expressa* continent το φλωγιστόν, adeoque ad resinam soluendam, prout maiori vel minori scitent humiditate, idonea magis deprehenduntur. Ex his clarum ac manifestum fit, menstruum, quod cum corpore solubili vniri nequit, rei soluendæ non esse idoneum. (g) Hinc ratio in promptu est, cur resina renu-  
at

*transponat & conuertat, ut non modo longe diuersa a priori textura inde nascantur, sed & frequentissime aliena ab omni solito naturæ ordine & spontaneo prouentu.*

(d) STISSERVS laborat *chemic. spec. II. c. 9. Cortex*, inquit, *cleuterii particulis resinosis turget, quæ diffractio cortice statim in conspectum prodeunt. Hinc tenax obseruatur & difficulter in puluerem abit.*

(e) BARCHVSEN in *elem. chem. Lib. II. cap. 4. p. 123. oleosum*, inquit, *sulphureum menstruum vt alcohol vini vel oleum quoduis sui similia vel sibi cognata pro re nata, vel ex parte, vel omnino dissoluit.*

(f) *Lib. II. obs. IV. p. 128. & obs. IX. p. 151.*

(g) Copiose deducit *Illustris HOFFMANNVS lib. II. obs. VIII. solutionem fieri unione soluentis & rei solubilis,*  
& BAR-

at vnionem aquæ, ac in spiritu vini ardente soluta ad-  
fusa aqua præcipitetur; seu noua vnio menstrui cum  
alio corpore instituat.

## §. VI.

Interim tamen *liquidum aquoso - alcalinum* non gum-  
*mosas* solum particulas, sed quasdam quoque *resinas* sol-  
uere, experimenta (§. I. n. XX. & §. II. n. II.) institu-  
ta docent. Ratio huius solutionis consistit in intimio-  
ri connubio salis alcalini cum principio sulphureo, ita,  
vt ambo sal neutrum constituent, quod expedite aquæ  
motui obsecundando facile soluitur. (h).

E 2

## §. VII.

& BARCHVSEN l. c. p. 122. docet, magnam extrabenda-  
rum rerum esse diuersitatem ratione commixtionis prin-  
cipiorum, alias aliis habere vel solidiores compactio-  
resque, vel molliores particulas, & alias copioso oleo,  
alias sale, alias alio principio ceteris dominante scate-  
re: ita, vt secundum horum varietatem, aliud atque  
aliud adbibendum sit menstruum.

(h) vid. *Illustris PRAESES* l. c. obs. VIII. p. 144. cui suum  
addit symbolum BARCHVSEN l. c. p. 123. & 354. quippe  
qui contendit, menstruum alcalicum, vt salia quæuis  
alcalia aquæ stimuli loco addita & in liquorem resoluta,  
oleosa, resinosa ac sulphurea dissoluere, seque eorum po-  
ris interponere, vt inde haut ægre extractioni suæ aquo-  
sæ suæ spiritu ardente institutæ, obsequantur.

## §. VII.

3) Gummi.

Porro in cascarilla animaduertimus principium *gummosum* ( n. V. VI. ), seu subtilem terram leuiter sulphuream in phlegmate solutam (n. XXI). Requirit hoc menstruum aliquod liquidum, (i) quod ipsi adfu-

- (i) Quantitas *extracti cascarillæ* accurate determinari nequit, quum pro vario parandi modo proventus eius differat. Si aqua simplici tantum paratur, obseruatis cautelis necessariis, plus extracti præbet (n. VI.), quia menstruum hoc non gummosam solum, sed aliquam etiam resinæ sub decoctione *cascarillæ* soluit partem. Idem quoque contingit, quando cum lixiuio salis tartari extractio instituitur. Sub hac enim operatione non solum intimius pars gummosa soluitur, verum etiam resinæ multum in modum fluiditatis abripitur. (§. VI.) Si vero post extractionem resinofam residuum prius ficcatur, & aqua postea soluitur, minor pars extracti obtinetur, (n. V.) certo indicio, quod gummosæ particule propter terram leuiter sulphuream non renuant vnionem spiritus vini rectificatissimi. Deinde nisi despu-mando & filtrando crassior terræ portio separatur, maiorem quidem quantitatem extracti, virrute tamen debilio-rem accipimus. Demum extractum cascarillæ aquosum ad præscriptum APINI præparatum, seu vti illud vocat in *relat. hist. febr. epid.* λεζυωρετόν suum in eo a nostro differt, quod parti gummosæ addidit puluerem subtilissime tritum, id quod vindiciæ *celeb.* TREWII contra *Cl. WERLHOFIVM* luculenter probant. Sequentia enim in *commercio liter. noric. hebdom. LII. p. 410.* comme-
- moran-

adfusum e cascarilla mediante calore partes subtiles falino-terreas extrahit, eo facilius seiungendas, quo laxius coherent, & secum in motum abripit, quarum specificum quasi menstruum aqua constituit, quae in poris semper aliquid olei abscondit, dissolurum abducit, ita, vt ipsi aquæ contraria alioquin innatare videatur natura.

## §. VIII.

*Terræ fixæ parum cortex cascarillæ* continet 4) Terra fixa. (n. VIII. XXIII.), quæ post calcinationem mixtum leue & admodum fragile relinquit, simile illi, quod B. STAHLIO teste, (k) in igne in *pollinem & summe pumicosam, porosam & veluti vesicularem raritatem expulso humore exuritur. Solidum vero hoc friabile ac in igne constans principium, non basin solum fere omnium corporum mixtorum præbet, verum etiam pro varia sulphuris & salis in illam actione (1) diuersæ corporum structuræ causa existit.*

E 3

§. IX.

*morantur: Cum ex cascarilla nimis caro tunc pretio vendita parum extracti obtineretur, decoctum per cribrum setaceum traieciatur, vt puluis subtilissimus simul transiret, ex quo per inspersionem paratum, remanens vero in cribro ad suffimigia habitum fuit.*

(k) l. c. p. 145.

(1) Hinc terra chemicis audit corpus passuum: conf. BARCHVSEN in *elem. chem. Lib. I. sect. I. cap. VII. p. 39.*

## §. IX.

Terra continet  
aliquid salis  
alcalini.

Formale salium  
alcalinorum.

Hinc deprehendimus, *terram corticis nostri calcinatam* largiri aliquid *salis alcalini*. Quæstio vero hic occurrit: vtrum *salia* ista a terra post *destillationem siccam* (n. IIX.) & *deflagrationem*, (n. XXIII. XXIV.) imo *extractionem aquosam* (XXII.) & *resinosam*, (XVI.) *residua* ante *analysin chemicam terræ formaliter* inexistenterint, an *materialiter*? Sed omnia, respondeo, *mixta* non continent *formaliter salia*, quæ igne *producentur*, sed *materiam tantum ad generationem eorum præbent*, sub *motu vero ignis naturam salium*, veluti *alcalinorum induunt*. Nam *rerum materialium motus tendit ad salium genesin*, & *omnis, quæ in rebus contingit mutatio, fit quoad figuram, motum intestinum, & locum totius* (per *leges motuum*). Iam vero constat *consensu chemicorum & physicorum omnium, ignem nihil aliud esse, quam materiæ subtilissimæ æthereæ rapidissimum motum*. Hinc *sponte sua sequitur, sub motu ignis auferri & aliter transponi terræ particulas, sub qua mutatione noua forma & qualitas pro varia particularum textura rebus inducitur*. (m) Itaque

---

(m) Plura hæc de re sciendi cupidus adeat *illustr.* BOYLE, qui in *chem. scept.* ingeniose non minus quam docte ostendit, ignis vi corpusculorum figuras, situm magnitu-

que si particulæ salinæ sub ignis violentia nimis crassæ fiant, ac difficiliter sub eius motu in auras rapiantur, *salia* producuntur *alcalina fixa* (n), qualia e vegetabilibus combustis extrahuntur. Vnde facile est ad intelligendum, cur ignis violentia *terræ corticis nostrî* prius insipidæ saporem alcalinum (o) acerrimum induxerit? tanquam signum, terram, utpotè principium salium constitutum hospitium ipsis præbuisse, sed sub alia forma, situ & figura, quæ vero igne mutata & concentrata actionem eius mirifice auxerunt.

## §. X.

*Materiam ad salium alcalinorum* genesis suppe- Eorum mate-  
riale. ditant principium *inflammabile & sal acidum*. Ex his ad naturam salis alcalini firmum esse consequutionis filum, tradit B. NEVMANNVS (p); siquidem ex con-  
iun-

gnitudinem mutari, nouamque rerum texturam prorsus produci.

(n) conf. *ill. PRAESIDIS dissert. de generatione salium §. VIII.*

(o) *IDEM in medic. ration. system. t. I. lib. I. sect. I. cap. V. p. 101. Motu, inquit, calido intestino aucto partes unitas a se inuicem discerni, dissolui, fixas volatilisari, insipidas sapidas & salsas reddi, pingues ac temperatas acres & valde calidas fieri, compluribus experimentis physicis ac chymicis comprobari potest.*

(p) *in lect. chem. de salibus alcalino fixis p. 16. sqq.*

iunctione & resolutione horum corporum generationem salium demonstrat. Pro principii huius inflammabilis & salis acidi proportione & constitutione differt etiam quantitas salis alcalini, (q) id quod cognoscimus ex experimento (n. XXII.) adducto, Principium enim acidum cum post destillationem extracti *casca- rilla* siccam cum principio φλωγισδ̄ in terra eius fixa probe subactum fuit, mirum non est, si post calcinationem, accedente motu ignis rapidissimo, sal alcali in maiori copia fuerit productum. Hinc varietas reliquorum salium alcalino fixorum variis operationibus chemicis (n. XII. XVI. XXIII. XXIV.) e *cortice nostro* productorum deducenda est ab excessu, vel defectu, aut insufficiente vtriusque principii ad producenda salia alcalino - fixa necessarii proportione.

## §. XX.

Specifica cas-  
carilla graui-  
tas vnde?

Demum cum sub operationibus chemicis cum *cortice cascarilla* institutis materiam semper pondere de- crescere obseruatur, recte colligimus: *specificam* corporum grauitatem non tantum a mole, quam a firmiori potius vel laxiori particularum cohaesione & subtili aetheris vorticoso motu ac pressione esse deducendam, quam  
ob

---

(q) IDEM *l. c.*



obrem *Illustris* HOFFMANNVS (r) grauitatis duplicem esse causam adfirmat, alteram externam & communem, motum nempe fluidi ætherei vorticosum circa globum nostrum terraqueum, versus centrum terræ corpora comprimentem; alteram internam & cuius corporum specificam, quæ a dispositione & structura partium mixtum constituentium proficiscitur, & quæ variis modis impulsus fluidi determinat. Itaque si cascarilla igne aperto in principia resoluitur, vel partes eius constitutiua extrahuntur, non modo firmior & arctior particularum cohæsiō destruitur, porique antea minores distenduntur, sed & fluidum subtilissimum æthereum magis expanditur, vt obseruante *Illustri* HOFFMANNO, (s) pro laxiori corporis nexu, porisque amplis & fluido æthereo plus repletis minoris ponderis ac grauitatis corpora fiant.

## §. XII.

Tandem ex relatione experimentorum cum *Peru-*  
*uiano* & *cascarilla* corticibus factorum ingens discrimen Cortex casca-  
 cognoscimus, siquidem *china china* nihil continet principii rilla ratione  
 ætherei oleosi ac resinosi (t), sed potius terram adstrin- principiorum  
 gentem differet a chi-  
na china.

(r) *Lib. III. obs. phys. chemic. p. 362.*(s) *l. c.*(t) STISSERVS *act. labor. chemic. c. X.*: confirmat experimenta §. I. n. IV. & VII, & §. II. n. IV. & V. *Cum spiritu*

gentem, & sal aliquod fixum amarum (v). Terra haec stipticae indolis prout rudior, aut subtilior existit, vna cum sulphure crudiori in menstruo spirituofo & aquoso facile soluitur, ac efficit, vt sub mixtione eius cum vitriolo martis praecipitatio & turbatio mixti oriatur, (§. II. n. III.) a coniunctione vero principii sulphurei & terrae alcalinae rubicundus producat color, (§. II. n. II.) nec non maior salis alcalini pars propter copiam acidi per combustionem ex illo (§. II. n. VII.) eliciatur. Quum igitur cortices hi a se inuicem valde differant, quod ex determinatione & dissimilitudine eorum, quae ipsis insunt, adparet, dissimilia ad similia, seu *utrumque corticem*, ad *vnam speciem* (x) referre velle, audax sane foret conatus.

## CAPVT

*Spiritu vini ait rectificatissimo ex utroque quidem cortice tinctura extrahitur, magis saturata tamen ex cortice Eleuterii quam ex peruuiano illo obtinetur, cuius tinctura facta abstractione spiritus vini per distillationem, neutiquam extractum spissum sed turbidum saltem dilutum relinquit, ulterius ad siccitatem usque euaporatum, in puluerem abiens, cum tamen corticis Eleuterii tinctura spiritu vini per distillationem auocato extractum plane resinofum & balsami instar crassum largiatur.*

(v) vid. HERMANNVS in *cynosur. mat. medic. p. 98.*

(x) In discrimen inter *Peruuianum & cascariillae cortices* inquiritur dans L' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES

SCIENCES

## CAPVT III.

De insignibus corticis cascarillæ  
virtutibus.

## §. I.

**Q**UUM secundum GALENI dictum (a) *medicamen-* Quid per vires  
intelligatur.  
*torum vires nosse methodum medendi præcedat, ne-*  
*cessarium æque ac vtile erit, expositis parti-*  
*bus corticis nostri constitutiuis veras, quas pro tam*  
*diuersa corporum structura exserit virtutes perscrutari*  
*easque sibi reddere cognititas atque perspectas. Per*  
*vires autem quas cascarilla edit, intelligo potentiam eius*  
*agendi in corpora.* Quum vero sub actione status,

F 2

muta-

SCIENCES an. MDCCXIX. p. 67. 68. vbi: *Malgré sa ressemblance avec le Quinquina, le Chacril en diffère beaucoup. Au goût il est plus amer, plus acré, & presque brûlant, au lieu que le Quinquina est d'une amertume plus désagréable, & a plus d'astringtion, ou de stipticité. Le Chacril échauffé ou brûlé donne une agréable odeur aromatique que n'a point le Quinquina. Enfin le Chacril allumé a la Bougie jette une fumée épaisse & beaucoup de fuliginosités, & ce qui en reste est un Charbon boursoufflé & rareté, pareil à celui des résines brûlées, ce qui marque une grande quantité de matiere résineuse par rapport à ce que le Quinquina en peut contenir.*

(a) *De method.*

mutatio accidat, quia actio dicitur mutatio status, cuius ratio in ente, quod eundem mutat, continetur, sub actione *cascarille* & corporum reactione variæ producuntur mutationes, quas paulo penitius iam nobis inueneri liceat.

## §. II.

Virtutes generales sunt  
1) blande sedatiuæ.

*Vires vero corticis nostri* sunt vel *generalioris*, vel *specialioris* considerationis. In genere ipsi competunt virtutes *sedatiuæ*, *tonicæ* ac *balsamicæ*, *diaphoreticæ* & *discutientes*. *Sedatiuas* dico, quia excedentes in solidis & fluidis partibus motus reddit pacatiores doloresue sedat. Operatur enim suo sulphure volatili blande vaporoso (cap. II. §. I. n. I. & §. III.) quo fluida expanduntur, solida vero nimis tensa relaxantur. Quum vero principia, quibus sedatiua agunt, quam maxime a se inuicem diuersa sint, differentes quoque producuntur effectus; quare in *cortice nostro* conspicimus blandum ac naturæ admodum amicum sulphur, odore fragantissimum & virtute præstans diuersum omnino ab illo, quod vti opium, hyoscyamus, cet. odore graueolente & vapore crassi sulphuris naturæ aduerso capiti stuporem conciliat, narcosin inducit, ac motus in corpore auferendo vires prostermit, stagnationes, stases, inflammationes, sphacelum aliaque dira excitat symptomata,

## §. III.

## §. III.

Altera virtus est *tonica*, quam principio amaricante resinoso partibus gummoso-terreis remixto edit, quo non solum in partes solidas fibras intendendo, verum etiam spirituascentiam inducendo humoribus, vel deficientes particulas aethereas motu intestino aucto restituendo operatur (b). Principium hoc cum sulphure blande vaporoso intime iunctum, motum spasticum, vel vniuersalem, vel particularem sedat, ac aequalem reddit motum progressiuum. Vnde iis in morbis, quorum ratio in turbato solidorum motu quoad excessum vel defectum motus tonici continetur, quam maxime conducit.

## §. IV.

A primariis nobilioribusque his virtutibus re-  
liquae *discutientes* & *diapnoicae* dependent. Constat enim ex pathologicis, sub spastica strictura defectum perspirationis & sudoris esse, quia tubus capillaris ad extremitatem impleri nequit, nisi sit peruius. Quum vero *cascarilla* spasmos relaxet (§. II.) ac virtute sedatiua & tonica aequalem motum efficiat (§. III.)

F 3

reli-

(b) Hinc III. HOFFMANNVS t. III. *medic. systemat. var. p.* 519. & 521. *inter balsamica refert corticem, quae calidioris & acrioris sunt indolis.*

reliquae se - & - excretiones , inprimis quae fiunt per cutis spiracula , (c) rite peraguntur , cum vasa secundum naturam patula ad omne punctum corporis liberum aditum permittant. Itaque motu tonico aucto fluida citatori cursu per corpus feruntur , eoque globuli sanguinis motu circa axin rotatorio celerius agitati in minimas diuiduntur moleculas , humores spissi ac viscidi attenuantur , & fluidiores reddantur obstructionesque referantur. Vnde *corticem cascarillae* optimas exferere virtutes experimur in morbis acutis , qui a stasi , & chronicis , qui a stagnatione humorum seu impedita spissi sanguinis per minima vascula circulatione oriuntur.

§. V.

Virtutes non absolutæ, sed relatiuæ sunt.

Iam vero laudatae *virtutes non absolutæ* sunt, (d) sed *relationem* habent ad internam corporum dispositionem, vt pro æqualitate & proportione agentis & reagentis determinati in corpore producantur motus ,  
quum

(c) *Corticem hunc* vel in substantia vel in extracti forma *epidem.* largiter sudare , variis obseruationibus conuictus memoriae prodidit APINVS in *Febr. epidem. hist. relat.* §. L. p. 91.

(d) III. HOFFMANNVS in *medic. rat. system. t. III. sect. II. cap. III. p. 454. 56. omnes, omnino, inquit, corporum in verum natura vires nevtiquam sunt absolutæ, sed relatiuæ & conditionatae, certis respectibus & circumstantiis limitatae.*

quum secundum leges motuum nullam fieri actionem sine reactione, eiusque vim a reagente in conflictu varie modificari, constet. *Cascarilla* igitur non eandem & specificam in omnibus ac singulis corporibus virtutem edit, sed requiritur conditio certa indiuiduorum, secundum quam ad determinatos effectus capax est.

## §. VI.

Quicumque igitur corpora a se inuicem discernendi & pro horum differentia diuersimode *corticem cascarillae* adplicandi gaudet facultate, is via recta incedit. Corticem enim eiusque resinam admodum vim habere elasticam liquet, propter olei, quo abundat, copiam (Cap. II. §. IV.): hinc *siccioribus* & *calidioribus* non conuenire naturis, sed *frigidioribus* potius & *languidioribus* prodesse discimus, qui propter tenacitatem humorum & motum depressum indigent stimulo & resolutione. Et vel ideo *illustris* HOFFMANNI (e) elegans obseruatio imis sensibus notanda est, aientis: *quia (cortex cascarillae) sanguinem exaestuarē & calorem accendere solet, in biliosis ad motuum impetus pronis subiectis minus, & non nisi in refracta dose, ex usu est, in segnioribus vero, in phlegmaticis & mulieribus magis & tunc commodissime cum cortice chinae chinae miscetur.*

In quibus subiectis magis conducat cascarilla?

## §. VII.

(e) *Medic. rar. system. t. IV. P. I. p. 31.*

## §. VII.

Quinam virtutes corticis huius speciales primū indagauerint?

Cognitis iam virtutibus generalioribus, speciales quasdam obseruationes ab experientissimis medicis variis in morbis notatas proferre, operae pretium videtur, si prius meminerim illorum, qui huius remedii vsum & virtutes nostris in terris indagarunt. Praeter APINVM in hunc censum veniunt principes medicorum nostri aevi, *Illustris* HOFFMANNVS & B. STAHLIVS, siquidem ab illis variis in casibus & adfectibus commendatus fuit, quorum experientia reliquorum cl. virorum, imprimis *celeb.* IVNCKERI assidua in obseruando comprobauit industria, vt taceam Gallos, inter quos praë reliquis *Msr.* FAGON & BÖVLVDC eminent, qui B. STAHLII & reliquorum vestigia prementes, *casarillam* maxime in spasticis & internis inflammatoriis morbis profuisse animaduertunt.

## §. VIII.

Laudatur in febribus intermittenti- bus.

A doctissimis his viris primo quidem celebratur *cortex noster* vel solus, vel china china remixtus, in febribus intermittenti- bus ad motus totius generis neruosi & vasculosi spasticos sopiendos, si prius materia fuerit expulsa; quo in casu non solum non nocere, sed illo quam maxime opus esse consentiunt. (f) *Illustris* enim

HOFF-

---

(f) *Illustr.* HOFFMANNVS in *medic. ration. system. t. IV. P. I.*  
&



HOFFMANNVS testatur (g), corticem cascarillae accom-  
modatissimum esse remedium in febris intermittibus, ob<sup>in tertiana.</sup>  
principium quo instructus est balsamicum & sulphureum an-  
dynam (h). Exhibet vero in tertiana cascarillam cum

G

cortice

& B. STAHLIVS in dissertat. de tertiana, febris genium  
uniuersum manifestante p. 56.

(g) l. c. p. 31.

(h) *Mrs. FAGON & BOVLVVC*, præstantiam corticis casca-  
rillae in his febris confirmant obseruationibus, a  
quibus tamen in eo dissentimus, quod ad februm cu-  
rationem partem tantummodo requiri resinofam autu-  
mant. Quum enim febris fundamentum consistat in mo-  
tu auctiori a spastica totius generis neruosi & vasculosi  
strictura proueniente, non modo tonica propter atoni-  
am, quae spasmus excipit, quam potius sedatiua ad exce-  
dentes motus compescendos hic conueniunt. Merentur  
hic adponi, quae dans L'HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE  
DES SCIENCES an. MDCCXIX. p. 68. 69. traduntur: *Feu M.*  
*FAGON auoit dit plusieurs fois à M. BOVLVVC que dans le*  
*temps où le Quinquina étoit encore rare en France il*  
*auoit souvent employé le Chacril avec succès dans les*  
*fièvres intermittentes. Apparemment sa partie resi-*  
*neuse & peneruante diuise & atténué les matieres mal*  
*cuites, épaisées, visqueuses qui sont le leuain de la fié-*  
*ure. Ce febrifuge a cet auantage sur le Quinquina*  
*qu'il agit en plus petite dose, & n'a pas besoin d'être*  
*si longtems continué. En general M. FAGON, au rap-*  
*port de M. BOVLVVC, étoit si persuadé que dans les Fe-*  
*brifuges c'est la partie resinéuse qui agit le plus pour la*  
*guerison de la fièvre, qu'il faisoit souvent faire une*  
*infusion du Quinquina avec l'Eau de vie, pour l'ajoi-*  
*ter*

in quartana &  
quotidiana.

*cortice chinae chinae & sale quodam medio & digestiuo ac nitroso combinatam. His enim non solum vis adstringens corticis Peruuiani corrigitur, ac principium nimis elasticum in cortice cascarillae temperatur, verum etiam materia in primis viis forte latitans ad euacuandum praeparatur. IDEM in febris quoque quartanis cascarillam admodum commendat (i); nec non in quotidianis, vbi ad promouendam cuticularem excretionem, quam compescendam successiue febrilem habitualem commotionem, puluere ex antimonio diaphoretico, cornu cerui philosophice praeparato, tartaro vitriolato & cortice cascarillae bis quotidie ad drachmam dimidiam per octo dies vti iubet. (k)*

§. IX.

*ter aux infusions ordinaires, & hâter par là l'effet du Quinquina. Quelques uns y ajoutent d'autres matieres resinuses en suivant la même idée. Longe aliter quidem sentit STISSERVS, sed inepte. Existimat enim corticem nostrum virtute febrifuga notabili haut polere; interim tamen in illis concedit eius vsum, cum particulis resinosis & balsamicis corpori nostro haut ingratis refertus sit. vid. act. laborat. chem. spec. II. cap. IX. Meliora certioraque ex praxi nobis reliquit Exc. vir I. IVCKERVS, quippe qui in conspectu therapiae generalis p. 302. maiore cum fructu ipsum praebere adferit in febris intermittibus; vt pote quas, aliis congruentibus additis aut subiunctis, saepe feliciter persanat.*

(i) l. c. t. III. P. I. f. I. p. 69.

(k) S. III. p. 103.

## §. IX.

APINVS celeberrimus medicinae Professor Al-  
torfinus (1) in febribus *continuis* magni facit *casca-*  
*rillae corticem*, eumque non minus felicem, sed quod  
plus est, vt plurimum sensibiliorem praestitisse testa-  
tur effectum, quam in *intermittentibus*. Nouam hanc  
ac expeditam vocat curandi methodum; tantum ve-  
ro abest, vt inuenti laudem sibi vindicet, vt potius  
MORTONO & ANGLIS potius deberi lubens fateatur. (m)  
Ex *historica febris epidemicae relatione*, quæ a. 1694.  
& 95. in Noricæ ditionis oppido Hersprucensi & vi-  
cino tractu grassabatur, liquet, illum *hoc cortice* vsu-  
fuisse in *febribus petechizantibus, catarrhalibus malignis, &*  
*epidemicis intermittentes ab initio simulantibus*, cet. vel in  
substantia, essentia, pilulis, vel extracto, quod vocat  
*ληξοπυρετόν*, modo supra (Cap. II. §. VII. lit. i) descri-  
pto. Præprimis commendat *extractum suum antife-*  
*brile* cum aquis diapnoicis, eiusque maxime no-  
tabilem in *etate iuuenili ac puerili* deprædicat efficaci-  
am. (n). Quod vero de vsu *corticis cascarilla* vel in

G 2

sub-

(1) *In hist. relat. febr. epidem. eiusque praefat.*(m) *l. c. p. 82. & praefatione historicae relationi febris  
epidemicae praemissa.*(n) *l. c. obs. XLI. p. 267. sqq. Magna lis est inter eru-  
ditos,*

In epidemicis  
intermittentibus  
anomalis malique  
moris.

*substantia*, vel *extracti forma* præscripti adseuerat, dum medio morbi cursu & secundo vel tertio die in integrum ægros restitui contendit, id non vbiq̄ue aliorum experientia respondet. (o) Interim tamen in *febris intermittentibus epidemicis anomalis malique moris corticem nostrum* celebrat *illustris* HOFFMANNVS, (p) qui extra paroxysmum drachmam dimidiam pulueris ex absorbente terreo, antimoniato fixo, nitrato & tonico ex *china china* & *cortice cascarilla* bis vel ter quotidie in aquis diapnoicis suadet.

## §. X.

ditos, *cortex cascarilla*, an *Peruvianus* sit, quem APINVS adhibuerit? Verum quidem est, APINI descriptionem corticis numeris Platonice esse obscuriorem; vnde non mirum, si Cl. WERLHOFFIVS illum pro *china china* habuerit; interim tamen facem prætulit *Celeb. TREWIVS*, & indubitata veritatem *cascarilla* ab APINO adhibitæ simulac descriptæ euicit, pro qua stabilenda relationem pharmacopoei KIRSTENI inseruit *commerc. litterar. Noric.* utpote qui non solum ALTORFII, verum etiam *Hersprucci* eo quidem, de quo APINVS loquitur tempore epidemico, prouisoris, ut loqui amant, minus sustinens, *medicamenta præscripta parauit*. Idem quoque l. c. tradit, quo die, quo mense, sub quo nomine prius fuerit vsus APINVS *cortice cascarilla* vid. *Hebd. LI. p. 401. seqq. & Hebd. XX. p. 153.*

(o) *Conf. Exc. Vir. IVNCKERI conspectus Therapiae generalis*, p. 302. & *conspect. medic. theor. pract.* p. 478. & 599.

(p) l. c. §. IV. p. 110.

## §. X.

Deinde *cascarilla* commendatur in febris *acutis inflammatoriis*. Specifico cum effectu illum adhibuit In febris acutis inflammatoriis.  
 B. STAHLIVS in *pectoris adfectibus*, præprimis vero in *pleuritide vera & peripneumonia* (q) ob virtutem lenientem, sedantem, ac discutientem. Specialem, qua B. vir in curandis hisce morbis vsus fuit, methodum, retulit mihi *affinis honoratissimus* G. E. STAHLIVS, quæ in pleuritide & peripneumonia.  
 in eo consistit, quod in *principio* præscriperit *essentiam corticis cascarillæ* cum resolvente & discutiente catarrhali v. g. *pimpinellæ albæ* remixtam, a guttis XXX. vsque ad XL ; in incremento vero & statu puluerem *resoluentem compositum* (r), tempore nimirum matuti-

G 3

no

(q) *Vid. l' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES an. MDCCXIX. pag. 69. vbi: L' illustre M. STAHL Medicin du Roi de Prusse, a étendu son usage aux pleuresies, aux Peripneumonies, & a ces Toux acres & conuulsives qu' on appelle Quintes. C' est encore en incisant & en attenuant des viscosites que le Chacril produit ses bons effets. Par la même raison il est fort utile dans les cas où il faut aider ou augmenter la transpiration. Specialissime quoque laudatur in his pectoris adfectibus ab excellent. vir. IO. IVNCKERO in consp. med. theor. pract. p. 435. 437. & ACTOR. ERVDIT. suppl. a. MDCCXXVIII. T. VIII. Sect. XI. p. 476.*

(r) Descriptionem huius pulueris vid. in dispenf. Reg. & Elect. Porusso Brandenburg. sub tit. *puluis resoluens compositus* B. STAHLII p. 173.

no & versus noctem, a dimidio ad scrupulum vnum; circa declinationem vero *casçarillam* in subtilem puluerem redactam, sed in refracta, nec saepius repetita quā agr. scilicet X. ad XV.

## §. XI.

In dysenteria.

Deinde singularem & specificam quasi exserit virtutem in febre intestinorum inflammatoria ex mesenterio seu dysenteria: in his non solum dolores acutos sedat, sed diarrhoeam quoque cruentam secure sistit. Commendatur autem puluis *casçarillae* cum pilulis balsamicis ad eliminandam e corpore materiam subtilissimam fermentatiuam. Vnde illustris HOFFMANNVS (s) pilulas balsamicas cum puluere roborante, cuius basis *casçarilla* & *succinum est*, exhibet. Cognitum quoque est B. STAHLII (t) specificum in curanda dysenteria fuisse pilulas balsamicas, quas vel in forma illa, vel in puluerem redactas vna cum *casçarillae cortice* praescripsit. Eandem ingressus est viam Excell. vir I. IVNCKERVS (v), quippe qui non balsamicas solum commendat pilulas tempore matutino, verum etiam antidysentericas versus somnum reliquisque

(s) l. c. p. 545. 547.

(t) Vid. schediasm. Germ. cui titulus: *Wohlmeynende Erinnerung wegen einiger bey noch anhaltend und bie und da grassirender rothen und weissen Rubr zu verlassigen Artzney-Mitteln.*

(v) Conf. Conspect. med. Theor. pract. p. 639.

liquisque diebus fumendas, quae componuntur ex pulueris *cascarillae* scrupulo dimidio, extracti *Cascarillae* & *Tormentillae* à gr. VI. & massæ pilularum de *cy-noglossa* gr. II. Si vero opus videatur, hanc methodum quotidie duplicandam iubet. Solet etiam cum pilulis balsamicis tantum puluerem *cascarillae* bis vel quater post meridiem a gr. X. ad XV. vel sequentem mixturam scopo sistendi praeberere. R. aqu. millef. vncias tres, extract. *cascarill.* & millef. aquos. ana scrupulos quatuor, essentiae *cascarillae*, millef. a. drachmas duas M. cuius dosis pro aetatum ratione indicanda est. Eadem medendi methodo summo cum emolumento in *dysenteria* Tranquebariae vsus est D. CROLL Missionis Danicae Medicus, qui in litteris ad Viros Excell. IVNCKERVM & SCHVLTZIVMANNO MDCCXXXVI. transmissis magni eam fecit. His enim in regionibus morbus veluti endemius est, quia colore diurno humores nimis rarefacti acriores redduntur, a frigore vero nocturno transpiratio prohibetur, & materia acris intestina erodens ad interiora facile pellitur. (w)

## §. XII.

---

(w) His adiungi merentur, quae inveniuntur dans l' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES an. MDCCXIX. p. 70. Mais ce qu'il a vu de plus particulier & de plus avantageux au Chacril, cest le grand secours, dont il a été dans les Dissenteries de 1719. soit qu'elles ayent été accompagnées de fièvre ou non.

## §. XII.

In febribus  
lentis & he-  
sticis.

Demum obseruante *Illustri PRAESIDE (x)*, *casca-*  
*rillae* vsus sese commendauit in *febribus lentis & hecticis*.  
In illis post absterfionem primarum viarum pilulis  
balsamicis, subiungenda esse monet laudatus vir anale-  
ptica & stomachica, inter quae prae reliquis refert *casca-*  
*rillae* & *gentianae rubrae* essentias, item *elixir suum balsa-*  
*micum*, quod praeter extracta amara & balsamica in-  
greditur *cortex cascarillae*. Deinde suadet etiam electua-  
rium ex *cortice cascarillae* cum syrupo acetositis citri  
adiecto nitro paratum (y). Conducit hic quoque  
puluis resoluens compositus B. STAHLII, quippe qui le-  
niter tonicus & diapnoicus est. Si in *febribus lentis*  
concurrat alui fluxus excedens, *corall. rubr. praeparat.*  
*cum cortice cascarillae* laudantur a viro excell. IO. IVN-  
CKERO (z).

## §. XIII.

In spasticis ad-  
fectibus, hæ-  
morrhagiis &  
diarrhoeis ex-  
cedentibus.

In reliquis etiam sine febre saepius stipatis ad-  
fectibus *spasticis*, & *dolorificis* morbis conspicuos edit  
effectus. Quas enim *clarissimus STAHLIUS B. Parentis*  
mecum communicauit obseruationes, iisdem ex alio-  
rum

(x) *Med. ration. system. t. IV. p. 1. Sect. II. c. XIII.*  
p. 565.

(y) *l. c. p. 575.*

(z) *In conspect. medic. theor. pract. p. 567.*



rum commendatione robur accedit (a). Praescripfit enim *B. vir.* hunc *corticem* quoad pectoris affectus in *haemoptysi* excedente in substantia, essentiam vero eius cum aliis resolventibus & catarrhalibus mixtam in *tussi qualicunque*. Adhibuit illum cum insigni fructu in adfectibus *spasmodicis*, in *flatulentia*, *colica*, *vomitu excedente*, *morbis inflammatoriis internis*, *haemorrhagiis*, *diarrhoeis simplicioribus*, *lientericis*, & *sym-*

H

pto-

(a) Hinc *Excellentissimus Vir I. IVNCKERVS* in *conspectu medicinae theoretico-practicae* p. 28. *cascarillam* commendat in *haemorrhagiis efferis*, p. 28. in *dolorum atrocita*, p. 145. 355. tanquam egregium pectorale discutiens & sedativum p. 276. in *haemoptysi* p. 48. in *vomitu cruento* p. 56. *ad vomitum & diarrhoeas impetuosas* sistendas p. 487. 494. 513. in *turbis venae portae & haemorrhoidibus* p. 89. 333. item in *fluxu lochiorum nimio* p. 129. In genere vero monet, si *cascarilla* cum pulvere antispasmodico remixta non conspicuas in sistendis haemorrhagiis edat virtutes, in usu ipsi sequens esse medicamentum. R. corall. rubr. praep. cascar. praep. specier. de hyacinth. ana drachmam dimidiam, mass. pilul. de cynogl. scrupul. dimidium, m. d. in part. X. His addi merentur observationes, quae existant dans L' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES an. MDCCXIX. pag. 69. vbi M. BOYLDVC a éprouvé lui-meme la vertu du Chacvil dans des Coliques venteuses, dans des affections Hysteriques ou Hypochondriaques qu'on appelle communément Vapeurs.

*ptomatis* (b). In *diarrhoeis variolarum* nimis & defectum virium inferentibus, quas cum sistere periculosum sit, commendat *illustris* PRAESES (c) bezoardici pulueris & *cascaerillae* circumspectum vsum.

## §. IV.

In doloribus  
capitis sedan-  
dis, ac promo-  
uendis men-  
bus & haemor-  
rhoidibus,

Alii rursus *cascaerillae* virtutem *emmenagogam* & in promouendis *haemorrhoidibus* efficacem obseruarunt, (d) nec non in sedandis doloribus capitis *cephalalgia*, *cephalaea* prorsus singularem. Obseruationem enim in *cephalaea* notatu dignam mecum communicauit *Excell. Vir IOAN. IVNCKERVS*, quam, quum sententiam nostram apprime illustrat, adponere iuuat.

„Matro-

(b) Virtus sedatiua *cascaerillae* in diarrhoeis obseruata exponitur in *Act. Berol. Dec. II. vol. VII. p. 68.* Conf: etiam *opus Botanicum WEIMANNIANVM T. II. p. 36.*

(c) *l. c. f. I. c. VII. p. 172*

(d) Notari merentur quae exstant dans L' HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES *l. c. p. 70.* Le *Chacril* en substance réussit pour les *Hemorrhoides internes*, qui ont peine à fluër, pourvû que le Malade ait l' habitude du corps un peu grasse. C'est qu' alors le tissu de la peau n'étant point trop serré, le *Chacril* augmente la transpiration, toutes les liqueurs ont plus de liberté, & les *Hemorrhoides* s'ouvrent. Peut être aussi le *Chacril* contribue il à les faire couler en resserrant les vaisseaux qui contiennent le sang hemorrhoidal. M. BOVLVOC a été témoin du fait. Conf. quoque *Ephem. N. curios. dec. III. a. II. obs. XLIX. p. 60.* & APINVS *l. c. p. 94.*

„Matrona quaedam nobilis ex praematura men-  
 „sum cessatione cephalalgia diu adfiebatur. Tan-  
 „tum enim abfuit, vt industria medicorum & vſus  
 „medicamentorum leuamen attulerint, vt potius ſex  
 „annorum ſpatio cephalalgia ſimplex in cephalaeam  
 „pertinacem transmigraret. Quare tandem medi-  
 „ci hoſtem quemcumque ſub cranio latere ſuſpica-  
 „bantur, & trepanationem inſtituendam iubebant.  
 „Aſt heroicum hoc remedium nec hoſtem detege-  
 „bat, nec dolores mitigabat. Quum vero haec ad-  
 „ſiſtētia ad oſtauum vsque annum continuaffet, fa-  
 „ctum eſt, vt matrona adſiſtētia alios adſiſtētos inuiſe-  
 „ret nobilem ſcilicet familiam, cui ob graſſantem  
 „tum dyſenteriam in qualemcumque praerſeruandi  
 „finem ordinaueram eſſentiam *cascarillae*. Cuius  
 „cum XL guttas verſus ſomnum ſumſiſſet, ſudore  
 „largiſſimo, quem antea nullo modo obtinere me-  
 „dici potuerant, ea nocte diſſluebat, & ingruente  
 „aurora cephalaeae exoptatiſſimam ſolutionem ami-  
 „cis ſuis laetabunda ſignificabat. Vt autem certior fie-  
 „ret, num ſudor ille caſu forte an vero eſſentiae ad-  
 „ſumtae effectu excitatus fuiſſet, altera nocte ſine  
 „medicamine lectum petebat. Cumque illo die ca-  
 „pitales dolores paullulum repullularent, tertia nocte  
 „eſſentiae vſum repetebat, & eandem largiſſimi ſu-  
 „doris

J 738  
H 7112

„doris & ablati doloris effectum experiebatur.  
„Quae curatio sicuti inopinabilis fuit: ita pluribus  
„postea experimentis hoc remedium optime se com-  
„mendauit.

§. V.

Cascarilla  
genio & indi-  
uiduis varia  
informa ac  
dosi adcom-  
modanda est.

Quod ad specialissimam huius *corticis* adplicati-  
onem adinet, vltimo loco notandum adhuc est, illam  
& genio morbi & indiuiduo esse adcommodandam.  
Vnde liquet iudicium practicum, exactam causae  
morbificae, viriumque huius medicamenti & structurae  
corporis requiri cognitionem, quae vtpote funda-  
mentum constituunt pathologiae & therapiae; ita &  
felicem in curando reddunt medicum. Dari autem pote-  
rit *cascarilla* pro iudiuidui ac morbi ratione in substantia  
a gr. X. ad scrupulum vnum, in essentia a guttis XX.  
ad LX. in extracto a gr. II. ad gr. V. & VI. in infuso  
aquofo, melius tamen in vinofo, quia menstruum hoc  
partem resinofam & aquofam soluit. Et haec sunt  
quae de *corticis cascarillae natura, indole, ac virtutibus* bre-  
uiter exponere annisui fui. Tu vero C. L. omnia  
a me dicta scriptaue in bonam inter-  
pretare partem.

T A N T V M.

PRAE.